

(252, 23—24)

De corporibus occisorum in exercitu regis Bohemie

Retulit hec proba et honesta mulier, que filium habebat, qui erat rector ecclesie in villa ***^{h)}) non procul a loco, quo prelium factum, dicens: Filius meus sacerdos et vicarius in villa, que dicitur ***ⁱ⁾) prope campum interfectorum regis Bohemie, ubi et jam nominatus rex cum exercitu suo a Rûdolpho rege Romanorum interfectus apud Viennem. Hic dixit: michi in villa mea de cetero manere non possum propter duas causas. Prima est hec fetor de corporibus occisorum tantus et talis, quod de eo plures ex subtitis infirmantur et ex eis de fetore plures mortui reputantur. Secunda autem causa est hec, quia demonum illusiones in campo predicto multiplices multis apparuerunt et homines mirabiliter terruerunt ex quibus multi mortui. Jacuerunt autem cadavera predictorum longo tempore, quod nec lupi nec canes nec aves ea comedere voluerunt.

(252, 25—28)

Alia prophecia ante electionem in regem Romanorum
Rûdolpho de Habsburg comitis

Milites residentes prope silvam, de quo dicitur versus iste:

*Auditur a Zauenburg de Spers raro tercius arbor*¹⁹³⁾

fol. 189v

Volentes sibi facere consolacionem venatores et canes venaticos congregaverunt, ut feras in silva memorata caperent. Canes | autem cervum pinguem, pulchrum et fortem in suo latibulo reppererunt^{k)}) ipsumque per longa silve spacia fugaverunt. Tandem cervus semitam parvam repperit, que ad heremite domicilium perducebat. Cumque cervus ad senis domicilium pervenisset, stetit, ut ibidem paululum respiraret. Senex audiens clamorem canum exiens domunculam cervum a canum dentibus liberavit. Milites eciam ad heremitam pervenerunt, quesiverunt, an cervum vidisset aut quo pervenisset, qui dixit: Verum est, quod cervus huc pervenit, sed canes ipsum fugere coegerunt. Quo autem devenerit, confiteor me penitus ignorare. Hic heremita in vasta solitudine degebat et tectum domunculi sui de foliis arundinum tegebatur. Macilentus, niger et pauperrimus^{l)}) in omnibus videbatur et erat. Apud eum milites ad horam quieverunt et ei de statu terre plurima retulerunt. Nam ipse in hac silva et magna solitudine duodecim annis cum uxore et liberis permansit. Tunc ipse illis mirabilia, que sequuntur, referebat et dixit:

^{h)} Lücke in der Hs.

^{k)} Hs. reppererunt

ⁱ⁾ Lücke in der Hs.

^{l)} Hs. pauperimus

¹⁹³⁾ Inhalt und Eigennamen dieses Verses dunkel. Herkunft? Bedeutung?